



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Dei Ter Opt. Ter Max. Filiæ, Sponsæ, Matri Mariæ, Cvivs De Castissimis
Visceribvs Natvs Iesvs Christvs ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

DEI
TER OPT. TER MAX.
FILIAE, SPONSAE, MATRÌ
MARIAE,
CVIVS DE CASTISSIMIS VISCERIBVŠ NATVS
IESVS CHRISTVS,
QVI RVENTI HVMANO GENERI
ANTIDOTVM DONAVIT
SACRAMENTA NOVÆ LEGIS,
REM SENSIBVS SVBIECTAM
QVÆ SANCTITATEM SIGNARET ATQ. OPERARETVR,
QVEIS VTENTES
VITÆ REDDERET, VIRES MINISTRARET,
A MÖRBIS SANARET, DIVA ESCA ROBORARET,
SPIRITALIVM FILIORVM PARENTES CREARET,
IMMVNDAM CONIVNCTIONEM SANCTIFICARET,
IN AGONE VLTIMO CERTATVROS
OLEO SANCTO DELIBVTOS FIRMARET,
L. M. D. C. Q.
HOS EGO MEOS SVDORES INDIGNOS TANTO CONSPECTV
DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS
GASPAR HVRTADO
MINIMÆ SOCIETATIS IESV ALVMNVS MINIMVS,
PARTÆ SALVTIS ANNO M. DC. XXXIII.
IDIBVS MAIIS.

VIRGO DEIPARA,



VARTVM iam ad aram tuæ clementiæ litaturus venio, sacraturusque meos, quales quales, labores; exantlatos tamen pro ingenioli mei tenuitate. Dum typis Hispanis dedi, lallare infantis tui, non contemnere es visa; cum, moderante te corda legentium, benigno fauore errores meos dissimulare procurasti, pusionum ut solent matres.

Et mea, & Hispaniæ nostræ tu mater, almæque nutrix. Vix de Symbolo Apostoli conuenerant, cum tonitruui filius, adoptiui tui IOANNIS germanus, Iudæis doctrinæ eius tonitrua non ferentibus, in prouinciam sibi abs collegis delegatam Hispaniam venit. Ex tunc tu misericordiarum nostratibus Mater ut fieres, agnato tuo IACOBO visendam te præbuiisti in columna marmorea Cæsar-Augustæ; rupeam intemeratamque ut istic futuram fidem Christianam adstrueres, non verbis magis quam hieroglyphico. Quemadmodum marmor, quod oculis cernimus, tot sæcula tulit nihil immutatum: sic fides, quam te adiutrice plantauit IACOBVS, nec hæresis vlla, nec Maurica barbarorum rabies, aut immanis persecutorum tyrannis,

tyrannis, inde potis fuit eradicare. Stat hîc, æternūque stabit promisso tuo securus, & Dei Filij tui cultus, & in te amor atque veneratio.

Aram tibi viuæ templūque sacrauit Hispania. Meliori vitâ fruenti (heu quàm nihil, si mea specto!) Filij tui Sacramenta Complutensibus characteribus per me explicata, dicarè Hispanus præsumpsi, tamquam communi Matri, & cuius ego omnium indignissimus toties etiam benignitatis vbera expertus.

Limaui iterū, atque in Belgium ad chalcographorum principem Balthasarem Moretum, Plantinianæ virtutis industriæque heredem, transmisi. Circumspexi, num & istic tua vestigia cernerem, vbi nuper impia nouitas, & noua impietas, Mariomastigas Auerni è specu produxit. Veterum monumentorum memoriam vltimam reuoluens, inueni MATERNVM, quem PETRVS Apostolus ad Belgas destinavit; mortuūque, & quadraginta dies sepultum apud Alsatios, Argentoratensi in agro, scipione Româ misso, ad vitam reuocauit; Tungris, anno post partum tuum circiter nagesimo, diuo tuo nomini templum sacrauisse, tamque tenerum in te affectum instillasse, vt vulgi idiomate alio te nomine non compellent Belgæ, quàm NOSTRA CHARA DOMINA. Tungrorum horum priscis in limitibus est Antuerpia,

uerpia, vbi luci dandum, quod oblaturus venio.
Vicinorum proto-Apostoli, SIAGRIVS Came-
racensium, PIATVS Neruiorum, DIOGENES
Atrebatium, primorum in Belgio Episcopa-
tuum fundatores, se suosque tibi obnoxios voluê-
re: adeò vt non minùs Belgium quàm Hispa-
nia tuum sit; eandem Dominam agnoscat post
Deum in cælis, quemadmodum eundem in
terris Regem. Hinc dubitandum non fuit, cuius
tutelæ subiicerem. Accipe igitur, foue, protege
ingenioli mei fetum. Quod in eo bonum, tuum
esto: quod malum, omne meum permaneto, in-
exhaustæ bonitatis tuæ lymphâ purgandum.



R.P. GASPA-